

papa Zacharias in venerabili patriarchio reperit caput beati Georgii martyris in capsa reconditum, quod in Romanam urbem transtulit.

- 35 A.D. 753. Stephanus papa 92us ordinatur, seditque annos 5, dies 28.
Anno dominicae incarnationis 754. Pippinus rex cum exercitu magno Saxoniam ingressus est, et quamvis Saxones ei obstinatissime resisterent, pulsus tamen cessavit, et ipse usque ad locum qui dicitur Rimie iuxta fluvium Wisaram accessit. In qua expeditione Hiltigarius episcopus occisus est in monte qui dicitur Viburg. Revertenti vero regi de Saxonia nuncius venit de morte fratris sui Griphonis, a quo vel qualiter interfectus esset. — Eodem anno Stephanus papa multa mala passus ab Haistulfo Longobardorum rege, venit ad Pippinum regem in villa quae dicitur Carisius, suggerens ei, ut se et Romanam aecclesiam ab infestatione Longobardorum defenderet. Venit et Karlomannus, frater regis, iam monachus factus, iussu abbatis
- 40 sui, ut apud fratrem suum precibus Romani pontificis obsisteret. Invitus tamen hoc fecisse putatur, quia nec ille abbatis sui iussa contemnere, nec abbas ille preceptis regis Longobardorum, qui ei hoc imperavit, audebat resistere. Stephanus autem papa apud Parisium aliquamdiu infirmatus, rursumque per sanctum Dionisium convalescens, postquam a rege Pippino pro sanctae Romanae aecclesiae defensione firmitatem accepit, ipsum sacra unctione in regiae dignitatis honore confirmavit et cum eo duos filios eius, Karolum et Karlomannum, cum matre eorum Berthrada consecravat; Francorumque procures una cum populo benedictione apostolica sanctificans, auctoritate beati Petri apostoli obligavit, et protestatus est eos, ut nunquam ipsi, vel quique ex eorum progenie, per succedentium curricula temporum progeniti, de alia stirpe regem sibi preponerent, nisi ex eorum propagine,
- 55 quos divina providentia tunc in defensionem aecclesiae dignata est sublimare. Sic ergo Pippinus ex prefecto palatii auctoritate apostolica sublimatus et unctus in sedem regni, postea regnavit annis 15, absolutus per eundem papam Stephanum a iuramento, quod regi Hilderico cum ceteris regni primoribus fecerat. Hildericus
- 60 vero, qui falso regis nomine fungebatur, tonso capite, in monasterium missus est.